

1495 terpretes idem petebat: sed stipendiorum inopia, ne rem conficeret, impediabatur. Quin etiam ea de causa ex Helvetiis, quos habebat, milites centum, ex Germanis alteri otidem, ad Venetos transferunt. Tum vero ab iis suburbana ædificia incensa, tormenta que muralia oppido propius admota, & obsessi modis omnibus acrius premi cœpti: quibus in rebus administrandis Nicolaus Urfinus fistulæ glande plumbea supra renes percussus, pro mortuo sublatu, atque in castra relatus est, neque postea ei bello interfuit. Gallos igitur qui obsidebantur, magis magisque in dies rerum omnium egestas atque inopia premebat, ut equis in escam uti cogerentur: compluresque corruptis farinis, aut pane furfuraceo vescentes, tum aquæ potu, quo Galli Germanique minime omnium uti assolent, interirent. Percusserat autem paulo antea nummum æreum Aloisius, cum pecunia eum defecisset, qui pro argenteo polleret. Hæc cum crebris occulte nunciis literisque regi ab Aloisio significarentur, quorum plerique ab hostibus interceptiebantur, nonnulli noctu, magnisque imbribus profecti, diversis atque occultis itineribus ad regem perveniebant, seque ille perpaucos posse ulterius dies obsidionem sustinere diceret, deceptum autem & destitutum quereretur: rex ab hostibus pacem petere constituit. Itaque per Argentonium tentare imperatorem ea de re cœpit. Ab eo ad legatos, ab iis ad Ludovicum, cujus causa bellum gerebatur, re delata, sapius deinceps eo libentissimo jactata, qui jam quiescere, quam alendis exercitibus conterî & bello periclitari malebat, induciæ primum factæ, deinde Aloisio cum paucis abire Novaria permissum.

Demum pax ab rege, atque ab Ludovico circiter nonas octobres concelebrata, iis conditionibus, ut Novaria Ludovico redderetur: tum ex libris auri vices centies, quas ab Ludovico rex in Neapolitanum bellum mutuo acceperat, mille ei & quingentæ rependerentur, quingentæ regi cederent: Ludovicus autem naves Gallicas in Rappali captas portu, nunciis regiis reddendas curaret: & Triultium, cujus bona publicaverat, exulemque ipsum fece-

*Pax inter
Carolum
VIII. &
fœderatos
principes.*